Mythologia, Venise, 1567 - Serenissimo atque christianissimo Carolo Galliarum Regi Invictissimo

Auteurs : Conti, Natale

Informations sur la notice

Auteurs de la noticeÉquipe Mythologia
Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution – Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Citer cette page

Document : "*Mythologia*, Venise, 1567 - Serenissimo atque christianissimo Carolo Galliarum Regi Invictissimo".
Auteur(s) de la notice : Équipe Mythologia.
Éditeur : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle).
Consulté le 29/03/2024 sur la plate-forme EMAN :
https://eman-archives.org/Mythologia/items/show/784

Présentation du document

PublicationVenise, Comin da Trino, 1567
Pagination2r°-3v°
Formatin-4
ExemplaireMunich (Allemagne), Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ) , Res/4 Ant. 50
Langues(s)Latin
Notice créée par Équipe Mythologia Notice créée le 30/04/2018 Dernière modification le 28/04/2023

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/784?context=pdf

Bayerische Staatsbibliothek München

SERENISSIMO ATQVE CHRISTIANISSIMO CAROLO GALLIARVM Regi.

Inuictiſsimo.



ONSIDERAVI diutius mecum Sereniſs. atque opt. Carole Rex, qui nam foret è Chriſtianis principibus, qui doctorum hominum ingenijs hoc tempore, diſciplinarumq; cognitioni faueret. Inter has meas cogitationes Ferdinandum felicis memoriæ optimum Rom. Imperatorem naturæ conceſsiſſe occurrebat, cuius benignitatem expertus eſſem: Imperatorem verò Sapientiſſ. Maximilianum & ipſum optimè de me meritum ita eſſe bellicis rebus implicatum, ut ad leuiora negotia non liceat oculos deflectere, cum hoſtes ſemper habeat finitimos. Ex altera parte tantus Valeſiæ familię ſplendor, tanta, tamque illuſtris humanitas & virtus, tot clariſsima per omnes ætates lumina ſeſe offerebant,

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/784?context=pdf

vt oculos inde auertere minime posſem. Occurrebat recens adhuc, & quam nulla tacebit posteritas, clariſsimi aui tui Franciſci Regis memoria, qui ita in rebus bellicis floruit, ut posſit omnibus posteris esſe clariſsimum rei militaris rectè gubernandæ exemplar. Huius ſapientiſsimis conſilijs niſi fortuna ſæpius fuiſſet aduerſata, nunc omnium propè Chriſtianorum Imperio cum ſumma omnium bonorum lætitia & felicitate Valeſia familia potiretur, ſempiternosque hoſtes Chriſtiani nominis cum tanta acceſsione uirium profligaſſet. Idem clariſsimus auus tuus ita Chriſti cultum, ita Pontificiam autoritatem, ita æquitatem pro viribus defendit, vt niſi ſapientiſsimus Rex ſurgentes hæreſes oppreſsiſſet, ac niſi ſceleratorum audaciæ reſtitiſſet, vix tam amplam haberemus Chriſtianam Remp. Idem tanta humanitate fuit, tanta in literatos omnes beneficentia, vt diſciplinæ omnes præclarum haberent in Gallia domicilium, quò ex omnibus prouincijs commigrarent. Quid dicam de ſapientiſsimo atque fortiſsimo Rege Henrico patre tuo? quid de ſingularibus eius virtutibus? Cum enim duo ſint Imperijs rectè adminiſtrandis maximè neceſſaria; legum prudentia, & peritia rei militaris, quæ ſemimortuis legibus animam quodammodo reſtituit; ita Rex ille in vtraque facultate excelluit, vt in vtra fuerit præſtantior, non facile ſit iudicare. Quantum præſtiterit ingenio, & in rebus bellicis prudentia, vel illud eſſe poteſt argumento, quòd Caroli Quinti fortiſsimi omnium Rom. Imperatorum, qui unquam fuerunt, iuuenis adhuc vires ita repreſsit, vt non modo ſuum Regnum fortiſsime defenderit cum ſumma omnium admiratione; verumetiam præclarum argumentum ad poſteros reliquerit magnitudinis animi ſui; & quantus Rex erat futurus, ſi diutius uixiſſet. Atqui cum religio ſit ſummus prudentiæ & probitatis gradus, ita acrem defenſorem illum lex Chriſti, & Romana Eccleſia ſenſit, vt, ſi diutius uixiſſet, nunc non laboraret. Nunc verò in te vno optime Carole ſpem reliquam Eccleſia Chriſti collocauit; te unum reſpicit, in te vnum oculos conuertit, abſte auxilium implorat, per te omnes de religione controuerſias euerti cupit. Te ſui cultus protectorem, te rectæ religionis defenſorem, te hæreſium euerſorem eſſe Chriſtus uoluit; tibi iuſtiſsimas animaduerſiones in impios fortunabit. Te formidabit ſceleratorum manus, te metuent impiorum concilia. Te Rege fidem,

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/784?context=pdf

dem, iuſtitiam, pietatem, ſapientiam eximias futuras firmiſsimis rationibus freti certò ſcimus. Nam quis fuit vnquam ex iſta familia mediocris virtutis? tantus fuit omnium illorum præcipuè ſplendor, qui iſto nomine Caroli vocati fuerunt, vt quibus virtutibus ſinguli excelluerint, omnem ſuperet dicendi facultatem: quippe cum vel prima Chriſtianæ legis incunabula non mediocre incrementum per Caroli illius celeberrimi Regis virtutes acceperint. Quantum de diuini ingenij tui præſtantia expectandum ſit, cum ipſum auguſtiſsimum, & per maiorum tuorum uirtutes illuſtratum nomen palàm promittit, tum prudentiſsima illa indicia animi tui, quæ in tenera ætate edidiſti, omnibus ſignificarunt. Neque enim vlli dubium eſſe debet, quòd omnia quam honorificentiſsima feliciſsimè conſequeris, Deumq; habebis in omnia tua vota adiutorem, ſi hoc ita tibi perſuaſeris; quòd neque auri copia, neque equitum cataphractorum turmæ, neque amplitudo Imperij homines facit illuſtres; ſed prudentia, & in rebus omnibus animi moderatio, & res cum uirtute geſtæ; quæ omnia vno nomine Chriſtiana religio intra ſe complectitur. Neque quidquam ſanè plus priuatis hominibus habent Reges, niſi facultatem permulta rectè agendi, in cæteris hominibus pene pares. Cum tanta igitur maiorum tuorum Rex ampliſs. benignitas mihi in mentem venit, qua in ſtudioſos homines illi uſi ſunt, quanta omnibus ſæculis cognita fuit: nõ ſum veritus ne maiorum tuorum imiteris humanitatem, à quo etiam multo clariora expectamus. Confirmauit me in hac ſententia præſtantiſsimorum in omnibus facultatibus frequentia, qui locos apud Maieſtatem tuam honorificentiſsimos obtinent, qui viri certè non eum locum tenerent, niſi ſapientes & dóctos uiros plurimi faceres. Nam qualis eſt Princeps, facile ſe per aulicorum familiariumque ingenia patefacit: quippe cum boni principes, viris bonis, & moderatis, & ſapientibus delectentur. His ego tot rationibus impulſus ſum, vt Maieſtati tuæ meos hoſce labores vniuerſis ſtudioſis, vt arbitror, perutiles dicarem; vel me ipſum potius Sereniſs. Maieſtati tuæ conſecrarem. Demonſtraui in his omnes propè illas antiquorum fabulas, quas aniles nugas imperiti crediderunt, eſſe grauiſsimas ſapientum ſententias, de mundi, elementorum, animaliumque generatione; de uiribus naturę, de diuina prouidentia, de animarum immortalitate, de præmijs & ſupplicijs,

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/784?context=pdf

supplicijs, quæ post mortem singulis proponuntur, & de alijs his similibus. Peto igitur suppliciter à singulari, & verè Regia Sereniſs. Maiestatis tuę clementia & benignitate, vt meum hoc munus humaniter accipiat, meque habeat in suorum seruorum numero; pro cuius felicitate ac lætitia Deum Opt. Max. assiduè precabor.

Venetijs Anno Salutis nostræ. 1567. pridie Cal. Quintilis.

Sereniſs. Maiestati tuæ

Deditiſs.

Natalis Comes.

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/784?context=pdf